881
P6.Ys

Saupppe

Emendationes Plutarcheae

881
P6.Ys

INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIEMALE

A D. XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXXIII. USQUE AD D. XV. M. MARTII A. MDCCCLXXXIV

HABENDARUM.

Hermanni Sauppii emendationes plutarcheae praemissae sunt.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

WILH. FR. KAESTNER.

881
PG.Ys Classics

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
OTTO MEJER
CUM SENATU.

3 Ap 11

Rudolphi Hercheri praematuram mortem lugendi literarum graecarum cultores cum multas causas alias habuerunt, tum quod de spe magna fore, ut per eius eruditionem et felicem sagacitatem Plutarchi scripta quae dicuntur moralia dignam et sua rerum scitu utilissimarum ubertate et hac artis criticae luce speciem recuperarent, depulsi sunt. Nam Danielis Wyttenbachii eruditionem suspicimus, patientiam nimiam miramur, acumen et certam critices faciendae rationem saepe desideramus. Neque tamen quisquam codicibus accurate collatis et sermonis plutarchei proprietate diligenter cognita libros eos quantum fieri posset emendatos denuo edere aggressus est. Atque volumine primo editionis, quod ex recensione R. Hercher Lipsiae a. 1872 publicatum est, desiderium illud editionis apparatu critico instructae magis incensum quam expletum est. Nam cum multos locos aut suis aut aliorum coniecturis correctos esse brevissime indicaverit, permulta alia, quae novata esse collata Wyttenbachii editione animadvertimus, codicum fide niti quia ipse in praefatione dicit credimus, sed quos codices quo iure secutus sit iudicare non possumus. Est igitur, cur illud unum tantum volumen editum esse doleamus, sed multo maiorem literae graecae iacturam fecerunt, quod ampliorem, quam se parare profitetur, editionem curare non potuit. Ut nunc res est, nihil reliquum esse patet, quam ut alium lampada cursorem mox suscepturum et feliciter ad metam perlaturum esse speremus. Sed cum vir amicissimus, cum quo et de aliis rebus et de Plutarcho edendo saepe per epistolas egi, in extrema illa praefatione etiam alios provocaverit, ut hos libros ab iniuriis temporis et librariorum vindicare et menda corrigere studeant, ex eis, quae lectione variis de causis aliquoties diversis temporibus repetita in margine variarum editionum brevissime adnotavi, hac scriptionis academicae data occasione nonnulla proferam, quae quidem futuro editori non prorsus inutilia futura esse existimem.

Ac primum de glossematis agam. Ea enim in his quoque libris Plutarchi haud ita raro irrepsisse exemplis certissimis constat, ut p. 99 B in verbis *τὴν γὰρ Ἐργάνην καὶ τὴν Ἀθηνᾶν αἱ τέχναι πάρεδρον, οὐ τὴν Τύχην ἔχουσιν* Hercherus *τὴν Ἀθηνᾶν* interpretamentum esse vidit primum adscriptum, deinde addita, ut fere fieri solet, particula *καὶ* scriptoris verbis insertum: cf. E. Plew ad Prelleri mythol. gr. 1 p. 710. Eodem modo paulo ante post verba Epicuri, quae Plutarchus attulit: *Βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει* (Diog. L. 10,

p29366

144), interpretis additamentum *χαλκοτύπῳ τε καὶ οἰκοδόμῳ* ex eis quac praecedunt desumtum in Hercheri editione recte omissum est, sed coniecturane an codicum fide, non constat. P. 100 B voces *θερμαίνοντα καὶ* in verbis *οὐκ αὐτὰ δήπου θερμαίνοντα καὶ προσβάλλοντα τὴν θερμότητα* se delevisse ipse testatur. Deinde p. 107. F eis, quae Diogenes, cum moribundus a medico ex somno excitatus esset, dixisse dicitur: *ὁ γὰρ ἀδελφὸς τὸν ἀδελφὸν προλαμβάνει*, in codicibus addita sunt verba *ὁ ὕπνος τὸν θάνατον*, sed iure ea Hercherus Th. Doehnero auctore (quaest. plutarch. part. 3 p. 46) omisit. Nam ex eis, quae proxime praecedunt, de quibus fratribus cogitandum sit, manifestum est illisque verbis adiectis dicti venustas prorsus tollitur. Etiam p. 109 E verba quae sunt *ὥσπερ γὰρ οὔτ' ἀγαθὸν ἡμῖν ἔπεστιν, οὕτως οὐδὲ κακόν* eius, qui quae praecedunt et sequuntur scripsit, esse non posse optime vidit: atque etiamsi *οὔτ'*, quod ferri non potest, *οὐδὲ* substituendo facile sustuleris, *ἔπεστιν* de eo, quod tempore post mortem futurum sit dici non potest. Unum addo locum eiusdem Consolationis ad Apollonium: p. 118. D auctor viros laudibus effert, qui filiorum mortem fortiter tulerint, in eis etiam Periclem: *Περικλέα τὸν καὶ Ὀλύμπιον προσαγορευθέντα — πυθόμενον ἀμφοτέρους αὐτοῦ τοὺς υἱοὺς μετηλλαχέναι τὸν βίον, Πάραλόν τε καὶ Ξάνθιππον, — τοῦτον γὰρ εὐθὺς μετὰ τὴν προσαγγελίαν ἀμφοτέρων τῶν υἱέων οὐδὲν ἧττον ἐστεφανωμένον — καὶ λευχειμονοῦντα δημηγορεῖν* (quae pendent ex eis quae praecedunt: *τούτων γὰρ παρειλήφαμεν*). Neque enim recte Cobetus (Mnemos. N. S. I p. 366) verba *τοῦτον γὰρ εὐθὺς* et quae sequuntur Protagorae esse existimavit formasque in eis dialecti ionicae atticis in codicibus traditis substituit: nam neque homerica *βουλὰς ἐξάρχοντ' ἀγαθὰς* neque reliquorum color Protagorae conveniunt et post ea, quae ab initio loci protagorei praeclarissimi dicta sunt, viderentur ne ferri quidem posse. Sed si Protagorae haec tantum tribuimus: *τῶν γὰρ υἱέων — ἀμηχανίην*, non magis cum eis quae praecedunt (ut supra adscripsi) haec conciliari possunt verba, quae sunt: *τοῦτον γὰρ εὐθὺς μετὰ τὴν προσαγγελίαν ἀμφοτέρων τῶν υἱέων*. Itaque ea ab Herchero recte exterminata esse iudico, addita illa a grammatico, qui quomodo haec omnia cohaererent non perspexisset.

Sed veniendum est ad locos eos, quibus ego mihi glossemata deprehendisse videor. Ac primus est, de quo dicam, in libello qui est *περὶ τοῦ ἀκούειν* p. 42 E: *ὁ δ' εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς μὴ τοῖς πράγμασιν ἐμφυόμενος ἀλλὰ τὴν λέξιν ἀττικὴν ἀξιῶν εἶναι καὶ ἰσχνὴν ὅμοιός ἐστι μὴ βουλομένῳ πιεῖν ἀντίδοτον, ἂν μὴ τὸ ἀγγεῖον ἐκ τῆς ἀττικῆς κωλιάδος ᾖ κεκεραμευμένον, μηδ' ἱμάτιον περιβαλεῖν χειμῶνος, εἰ μὴ προβάτων ἀττικῶν εἴη τὸ ἔριον, ἀλλ' ὥσπερ ἐν τρίβωνι λυσιακοῦ λόγου λεπτῷ καὶ ψιλῷ καθήμενος ἄπρακτος καὶ ἀκίνητος.* Dico legendum esse *ἐκ γῆς κωλιάδος*, interpretamentum grammatici esse *ἀττικῆς*, additum quia antea dictum videbat *τὴν λέξιν ἀττικὴν ἀξιῶν εἶναι* et postea *προβάτων ἀττικῶν*. Sed hic nomen argillae coliadensis idem satis aperte indicabat. Quamquam enim argilla illa raro commemoratur, notissimam tamen in vulgus fuisse et praestantiam vasorum fictilium atticorum ea potissimum contineri visam esse satis tamen intelligimus. Nam Eratosthenem in Epistola ad Hagetorem Lacedaemonium Athenaeus 11 p. 482. A tradidisse refert: *κρατῆρα γὰρ ἵστασαν τοῖς θεοῖς οὐκ ἀργυροῦν οὐδὲ λιθοκόλλητον, ἀλλὰ τῆς κωλιάδος γῆς.* et paullo post: *ἐὰν δέ ποτε πλεῖον πιεῖν βουληθεῖεν, προσπα-*

ρετίθεσαν τοὺς καλουμένους κοτύλους, κάλλιστα καὶ εὐποτώτατα ἐκπωμάτων· ἦσαν δὲ καὶ οὗτοι τῆς αὐτῆς κεραμείας. Apud Macrobium vero Saturnal. 5. 21, 10, qui haec exscripsit, cum ἀλλὰ τῆς κωλιάδος legatur, etiam apud hunc videtur ἀλλὰ γῆς κωλιάδος scribendum esse, quamquam aliud G. Bernhardy Eratosth. p. 201 iudicium fuit. Deinde Suidas s. v. Κωλιάδος κεραμῆες.. Κωλιάς, τόπος τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα σκεύη πλάττονται. λέγει οὖν ὅτι — ὅσαι πρὸς σκευοπλασίαν ἐπιτήδειαι, πασῶν ἡ Κωλιάδος κρείσσων· ὥστε καὶ βάπτεσθαι ὑπὸ τῆς μίλτου. Porro Schol. Ravennas Aristoph. Lysistr. 3: 'πὶ Κωλιάδ'. Κωλιάδος Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐν τῇ Ἀττικῇ· ὁ δὲ τόπος καλεῖται Κωλιάς· ἔνθα ὄστρακα κάλλιστα. Cum vero, quae de hoc Veneris vel cognomine vel templo vel promontorio traduntur, omnia videantur ad duos fontes referenda esse, eorum quae hic adscripsimus et quae apud Stephanum Byzantium s. v. Κωλιάς et Suidam s. v. Κωλιάς et in scholiis Aristoph. Nub. 52 habentur, alterum auctorem hunc interpretem Aristophanis alterum interpretem Hecales Callimachi fuisse coniecerim et illa ipsa verba Κωλιάδος κεραμῆες, quorum interpretationem apud Suidam exscriptam esse videmus, A. Heckerum comment. callimach. p. 105 ad Hecalen recte retulisse crediderim: nam in Hecale mentionem factam esse Coliadis Suidas altero illo articulo s. v. Κωλιάς testatur (cf. Naekii opusc. 2 p. 190 sq.). Atque facile poterat poeta in supellectili vili, quam Theseus in Hecales casa invenisset, describenda comparationem instituere cum pretiosis illis ex argilla coliade factis. Aliter iudicat O. Schneider Callim. 2 p. 712, qui ad Αἴτια refert. Etiam quae nunc apud Stephanum Byz. p. 400 Mein. leguntur, ad eosdem fontes referenda esse verbis scholiastae aristophanici et Suidae collatis apparet: sed in eis quae nunc negligenter excerpta exstant, post καλεῖται esse Κωλιάς addendum schol. Lysistratae docet. Sed etiam ea quae apud Plutarchum sequuntur supra exscripsi, quia sub finem eius periodi aliquid turbatum esse manifestum est. Neque enim qui cum primum scholis philosophi alicuius interest non res ipsas summo studio amplectitur sed orationis venustatem requirit, a Plutarcho eius similis esse dicitur, qui lysiacae dictionis tenui amiculo indutus otiosus sedeat, sed eius, qui nihil aliud sectetur, quam ut tenui illa veste sumta nihil agat sed deses vitam degat. Quare huic loco explicando non sufficit quod Wyttenbachius suadet, ut ὅμοιος ὥσπερ καθήμενος idem valere existimemus atque ὅμοιος τῷ καθημένῳ, quanquam structuram ipsam legitimam esse negari non potest, sed hoc loco etiam in verbis postremis dicendum est, quid qui perverso illo dictionis aucupio atticae tenentur velle videantur. Itaque post καθημένῳ excidisse infinitivum μένειν conicio, qui ut πιεῖν et περιβαλέσθαι ex participio βουλομένῳ pendeat.

Transeundum est ad alios locos glossematis corruptos. In eis, quae Philotimum medicum Plutarchus p. 43. B et p. 73 B homini aegrotanti respondisse narrat: οὐκ ἔστι σοι, φησίν, ὦ βέλτιστε, περὶ παρωνυχίας ὁ λόγος, ultima verba quae sunt ὁ λόγος grammatico deberi codices meliores non minus quam consuetudo dicendi Atticorum arguunt: de qua re in Symbolis ad emendandos oratores atticos dixi p. 6. — Plutarchus porro p. 52. E in libello de amici et adulatoris discrimine mutabilitatem adulatorum comparatione demagogorum, quorum Alcibiadem maximum fuisse dicit, illustraturus

haec habet: *μαρτυρεῖ δὲ καὶ τὰ τῶν μεγάλων ἔργα κολάκων καὶ τὰ τῶν δημαγωγῶν, ὧν ὁ μέγιστος Ἀλκιβιάδης, Ἀθήνησι μὲν σκώπτων καὶ ἱπποτροφῶν καὶ μετὰ εὐτραπελίας ζῶν καὶ χάριτος, ἐν δὲ Λακεδαίμονι κειρόμενος ἐν χρῷ καὶ τριβωνοφορῶν καὶ ψυχρολουτῶν, ἐν δὲ Θράκῃ πολεμῶν καὶ πίνων· ἐπεὶ δὲ πρὸς Τισσαφέρνην ἀφίκετο, τρυφῇ καὶ ἁβρότητι καὶ ἀλαζονείᾳ χρώμενος ἐδημαγώγει καὶ καθωμίλει τῷ συναφομοιοῦν καὶ συνοικειοῦν ἑαυτὸν ἅπασιν.* Haec non satis recte Hercherum intellexisse interpunctiones ostendunt post v. *Ἀλκιβιάδης* et ante vv. *ἐπεὶ δὲ* positae et magis etiam ea, quae in Hermae berolinensis vol. 9 p. 111 exposuit. Verba enim *καὶ τὰ τῶν δημαγωγῶν* deleri voluit, sed Plutarchus ita tantum Alcibiadem inter adulatores referre poterat, ut demagogos omnes Aristotelis auctoritatem secutus (Polit. 4 c. 4 p. 1292. a. 20) adulatores esse diceret. Itaque vocibus *καὶ τὰ* deletis scribendum est: *μαρτυρεῖ δὲ καὶ τὰ τῶν μεγάλων ἔργα κολάκων, τῶν δημαγωγῶν, ὧν ὁ μέγιστος, Ἀλκιβιάδης, Ἀθήνησι μὲν — — — καὶ πίνων, ἐπεὶ δὲ — ἀφίκετο, — ἐδημαγώγει καὶ καθωμίλει — ἅπασιν.* Haec enim omnia in unum comprehendenda esse facile patet. Ultima nisi fallor colorem ex Aristotelis loco (Polit. 5 c. 13 p. 1315. b. 3: *τοὺς μὲν γνωρίμους καθομιλεῖν, τοὺς δὲ πολλοὺς δημαγωγεῖν*) traxerunt. — De capienda ex inimicis utilitate p. 86. F haec scripta sunt: *τοῦ δὲ σατύρου τὸ πῦρ, ὡς πρῶτον ὤφθη, βουλομένου φιλῆσαι καὶ περιβαλεῖν ὁ Προμηθεὺς 'τράγος' ἔφη 'γένειον ἆρα πενθήσεις σύ γε' κάει τὸν ἁψάμενον, ἀλλὰ φῶς παρέχει.* In his quomodo Hercherus parenthesin esse verba *ὡς πρῶτον — σύ γε* existimare potuerit, non intelligo, cum *τοῦ σατύρου βουλομένου φιλῆσαι* non possint non coniungi, sed verba *κάει τὸν ἁψάμενον* glossema esse certissimum est neque, quod Hercherus videtur voluisse, cum verbis enuntiationis primis *τοῦ δὲ σατύρου τὸ πῦρ* coniungi ullo modo possunt. Prometheus cum ignem hominibus afferret, unus ex satyris, quibus chorus in Aeschyli dramate satyrico *Πυρκαεύς* constabat, ignem splendida specie deceptus et puerum pulchellum esse opinatus exosculari volebat (cf. R. Westphal prolegom. aeschyl. p. 207). Verbis *κάει τὸν ἁψάμενον* in margine adscriptis sententia in verbis paullo obscurioribus latens explicabatur. — p. 110 E immaturam mortem non lugendam esse iam non accuratiore demonstratione indigere auctor Consolationis ad Apollonium dicit, poetas enim de vulgo quae huic luctui tollendo essent protulisse: *θέασαι γὰρ οἷα περὶ τούτου φησὶ τῶν κωμικῶν τις πρὸς τὸν ἐπὶ τῷ ἀώρῳ λυπούμενον θανάτῳ· 'εἶτ' εἰ μὲν ᾔδεις, διότι τοῦτον τὸν βίον'* et quae sequuntur. Cum ea, quae praecedunt, quo consilio versus afferantur perspicue ostendant et verba *περὶ τούτου* id ipsum denuo moneant, verba interposita, quae sunt *πρὸς τὸν ἐπὶ τῷ ἀώρῳ λυπούμενον θανάτῳ*, interpretis esse existimo, prorsus eodem modo, quo paulo ante Hercherus (Hermae vol. 11 p. 229) verba *τῶν χρημάτων ἅμα τοῖς σώμασι διαφθαρέντων* a grammatico aliquo addita esse recte iudicavit. — Eidem Consolationis auctori debemus Eudemi aristotelici particulam luculentam illam quidem sed miro modo corruptam, quam Iac. Bernays Musei rhenani vol. 16 p. 236 sqq. accuratissime tractavit et compluribus locis egregiis coniecturis emendavit. Is etiam hoc vidit, p. 115. C Aristotelem scribere non potuisse: *καὶ ταῦθ' οὕτως ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ διατελεῖ νενομισμένα παρ' ἡμῖν, ὥστε τὸ παράπαν οὐδεὶς οἶδεν οὔτε τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν οὔτε τὸν θέντα πρῶτον, ἀλλὰ τὸν ἄπειρον αἰῶνα τυγ-*

χάνει διὰ τέλους οὕτω νενομισμένα, verbis fere eisdem bis positis *διατελεῖ νενομισμένα* et *τυγχάνουσι διὰ τέλους οὕτω νενομισμένα*. Sed quod priora retineri, altera resecari voluit, probari non posse exposui in Philologi vol. 19 p. 580 atque quanquam et Val. Rose Aristotelis pseudepigraphi p. 61 atque Aristotelis vol. V p. 1481 et Hercherus priora retinuerunt, cum altero loco ille, qui antea Bernaysium secutus verba suspecta uncinis incluserat, postea cum I. Vahlen *νενομικότες* substituerit, hic *τυγχάνει διὰ τέλους οὕτω νενομισμένα* scripserit, etiamnunc *οὕτως ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ διατελεῖ νενομισμένα* dici posse nego, plurali vero numero *τυγχάνουσι*, qui est in codd., manum alius saeculi, quo *ταῦτα τυγχάνουσιν* dici posset, prodi neque vero *νενομικότες* commendari existimo. Itaque etiamnunc priore loco Aristoteles *καὶ ταῦθ' οὕτως ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ παρ' ἡμῖν*, altero *τὸν ἄπειρον αἰῶνα διατελεῖ νενομισμένα* mihi videtur dixisse. Interpretamentum *τυγχάνουσι διὰ τέλους οὕτως* in margine adscriptum pro verbis genuinis receptum est, haec alio loco inserta. Sub finem loci aristotelici codices habent haec: *ἄριστον γὰρ* (recte cum Bernaysio Hercherus *ἄρα*) *πᾶσι καὶ πάσαις τὸ μὴ γενέσθαι, τὸ μέντοι μετὰ τοῦτο καὶ τὸ πρῶτον τῶν ἄλλων ἀνυστόν* (ex egregia Reiskii coniectura Hercherus *τῶν ἀνθρώπῳ ἀνυστῶν*), *δεύτερον δέ, τὸ γενομένους ἀποθανεῖν ὡς τάχιστα*. In his quominus Madvigii sententiam (Advers. 1 p. 622) probem, quam Hercherus secutus est, verba *δεύτερον δέ* delenda esse, quippe quae ad verba *τὸ μετὰ τοῦτο* interpretanda adscripta fuerint, me Sophoclis locus ille clarissimus prohibet, Oedip. Col. 1224: *μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νικᾷ λόγον, τὸ δ' ἐπεὶ φανῇ βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥκει πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα*. Qui locus cum in Aristotelis memoria haereret, videtur quanquam *τὸ μετὰ τοῦτο* praecessit tamen post verba *τὸ πρῶτον τῶν ἀνθρώπῳ ἀνυστῶν* illud *δεύτερον δέ* (quanquam eorum, quae homo nancisci potest, primum est, tamen, per se spectatum, non primum, sed secundum est) addere potuisse. Denique addo in Crantoris verbis, quae p. 115. B leguntur: *καὶ ἀρχὴν τὸ γενέσθαι ἄνθρωπον συμφορὰν τὴν μεγίστην*, interpretamenti speciem *ἄνθρωπον* habere, praesertim quod Silenus, qui hoc apud Aristotelem dixisse perhibetur, p. 115. E dicit: *ἀνθρώποις δὲ πάμπαν οὐκ ἔστι γενέσθαι τὸ πάντων ἄριστον* et paulo post *τὸ μὴ γενέσθαι*: cf. etiam Aristotelis verba ipsius p. 115. C et quae p. 117 E leguntur. — In periodo, quae est p. 117. F: *βραχυτάτου δὲ τοῦ τῆς ἐπιδημίας ὄντος ἐν τῷ βίῳ χρόνου οὐκ ἐν ταῖς αὐχμηραῖς λύπαις — διαφθείρειν ἑαυτοὺς δεῖ ταῖς ὀδύναις καὶ ταῖς τοῦ σώματος αἰκίαις παρατεινομένους, ἀλλὰ μεταβάλλειν ἐπὶ τὸ κρεῖσσον καὶ ἀνθρωπικώτερον πειρωμένους, καὶ σπουδάζοντας ἐντυγχάνειν ἀνδράσι μὴ τοῖς συλλυπουμένοις — ἀλλὰ τοῖς ἀφαιρουμένοις τὰς λύπας διὰ γενναίας καὶ σεμνῆς παρηγορίας.* offendo in voce *πειρωμένους*. Apparet enim verba non posse ita cohaerere, ut ad infinitivum *διαφθείρειν* accuratius definiendum addita sint *παρατεινομένους* et *μεταβάλλειν πειρωμένους*, sed sibi oppositos esse infinitivos *διαφθείρειν* et *μεταβάλλειν*, pendentes illos e v. *δεῖ*. Verba igitur *ἐπὶ τὸ κρεῖσσον καὶ ἀνθρωπικώτερον* cum non possint nisi cum *μεταβάλλειν* coniungi, *πειρωμένους* non habet quomodo intelligatur, sed additum est ab eo, qui non intellexisset *μεταβάλλειν* ex v. *δεῖ* pendere, addito adiicienda erat particula *καί*. Itaque utraque voce (*πειρωμένους καί*) recisa integritas enuntiationis restituitur. — P. 166. B breviter

monco a P. R. Müllero (Annal. philol. 95 p. 712) recte exterminata esse verba *τὸν ὕπνον* in his: *ἔστι δὲ καὶ πρὸς τὸν δεισιδαίμονα εἰπεῖν· ὅ τι τὸν ὕπνον οἱ θεοὶ λήθην κακῶν ἔδοσαν ἡμῖν καὶ ἀνάπαυσιν, τί τοῦτο κολαστήριον σαυτῷ ποιεῖς ἐπίμονον καὶ ὀδυνηρόν;* Plutarchus enim facete Menandri lepidos versus *ὅ τι προῖκα μόνον ἔδωκαν ἡμῖν οἱ θεοί, τὸν ὕπνον, τί τοῦτο πολυτελὲς σαυτῷ ποιεῖς;* quibus lectos pretiosissimos sibi parantium stultitiam irriserat, ad terricula superstitione dormientium animis obiecta transtulit. Hercherus eius emendationis non meminerat. — P. 1129. E codd. habent *καθάπερ τὰ λανθάνοντα τῶν ὑδάτων τῷ περισκιάζεσθαι καὶ καθῆσθαι μὴ ἀπορρέοντα σήπεται, οὕτω τῶν ἀκινήτων βίων, ὡς ἔοικεν, ἄν τι χρήσιμον ἔχωσι, μὴ ἀπορρεόντων μηδὲ πινομένων φθείρονται — αἱ σύμφυτοι δυνάμεις.* Verba *μὴ ἀπορρεόντων μηδὲ πινομένων* recte uncinis a Fr. Dübnero inclusa sunt, sed demonstrant post *μὴ ἀπορρέοντα* addendum esse *μηδὲ πινόμενα.**) — Denique quod in Vitis X oratorum p. 834. C verba *πρὸς ἁμαρτὼν μυστήρια* notam fuisse, qua verba *διὰ τὸ πρότερον ἀκόλαστον ὄντα — ὥς Κράτιππός φησι,* e Cratippi historiis in margine addita, pertinere ad voces *ἁμαρτὼν μυστήρια* explicandas, quae ante illa *διὰ τὸ πρότερον* leguntur, significaretur, nunc recte et Westermannus in Biographis p. 239 et C. Müller in Fragm. hist. graec. 2 p. 72 monuerunt, commemorare liceat verba scriptoris ex mea primum coniectura a Friderico Dübnero in editione didotiana sic conformata esse. Retinenda tamen erat lectio codicum *ἰδίᾳ* neque de lacuna cum Westermanno cogitandum est, sed addito ante eam vocem relativo *οἵ* quae Cratippus tradidit recte procedunt. Cogitandum enim est a Corinthiis exules leontinos et Segestanos de partibus optimatium Athenas furtim missos esse, ut, cum in eo esset, ut Athenienses popularibus illarum urbium partibus auxilio venirent, turbis excitatis expeditio sicula aut impediretur aut differretur: cf. Plutarchi Alcib. c. 18.

Neque vero tantum addendo quae aliena essent librarii peccarunt, sed pariter atque in aliis scriptoribus etiam in his Plutarchi scriptis haud ita raro factum est, ut quaedam omitterent. Eorum alia codicum meliorum ope suppleta sunt, ut a Cobeto or. crit. p. 72, a Theodoro Doehner quaestionum plutarch. 2 p. 32 sqq. 4 p. 26 sqq., alia felici coniectura hominum doctorum, ut Dan. Wyttenbachii ad p. 141. D, Madvigii advers. 1 p. 621, Cobeti Mnemos. N. S. 1 p. 362 et 364, aliorum. His pauca quaedam ex eis, quae ipse invenisse videor, addam. P. 43. F de philosophorum auditoribus dicit: *ἐν τοῖς ἔξω πράγμασιν οὐδὲν αὐτοὺς ἑαυτῶν διαφέρειν ἡγοῦνται — περὶ τῶν ὄντως φιλοσόφων οὐ καλῶς ἀγνοοῦντες, ὅτι καὶ σπουδὴ καὶ παιδιὰ καὶ νεῦμα καὶ μειδίαμα καὶ σκυθρωπασμός αὐτῶν, μάλιστα δ' ὁ πρὸς ἕκαστον ἰδίᾳ περαινόμενος λόγος ἔχει*

*) Cum locum libelli de Epicuri illo *λάθε βιώσας* attigerim, hoc ipsum restituere placet apud Themistium or. 26 p. 324. A (p. 390 Ddf.), ubi in codicibus haec habentur: *καί τῷ μὲν λόγῳ ἐξελαύνειν Ἐπίκουρον τὸν Νεοκλέους καὶ ἐκβάλλειν τοῦ τῶν σοφῶν καταλόγου, ὅτι Ἐπίκουρος λάθρα βιώσας ἐπῃνεῖτο καὶ ἔθετο δόγμα μὴ φύσει εἶναι τὸν ἄνθρωπον κοινωνικόν τε καὶ ἥμερον, τῷ δὲ ἔργῳ ἐπαινεῖν τὴν γνώμην.* Sunt vero ita emendanda: *καὶ τῷ μὲν λόγῳ — ἐκβάλλειν τοῦ καταλόγου, ὅτι τὸ Λάθε βιώσας ἐπῄνει τε καὶ ἔθετο κτἑ.* Verba *τῶν σοφῶν* non sunt in cod. mediolanensi: de verbis *ἐκβάλλειν τοῦ καταλόγου* cf. Xenophont. Hellen. 2. 3, 20.

τινὰ καρπὸν ὠφέλιμον τοῖς ὑπομένειν καὶ προσέχειν ἐθισθεῖσιν. Ad v. quod est νεῦμα aequabilitas postulat sermonis ut similiter atque in prioribus et posterioribus substantivum alterum addatur: fortasse igitur Plutarchus καὶ νεῦμα καὶ βλέμμα scripsit. Eodem modo p. 599. E Plutarcho restituo: ἕκαστος ἑαυτῷ κοῦφα καὶ βαρέα καὶ χαλεπὰ καὶ ῥᾴδια φέρειν ποιεῖ. In codd. vv. καὶ χαλεπὰ exciderunt. — P. 97. A. Si quis multorum amicus esse velit, eum alium ex alio fieri necesse esse Plutarchus dicit, uti materies illa una rebus omnibus subiecta in eis alia ex alia fiat. Sed in verbis graecis aliquid desideratur: ὡς δὲ τὴν ἀσχημάτιστον οἱ φυσικοὶ καὶ ἀχρώματον οὐσίαν καὶ ὕλην λέγουσιν ὑποκειμένην καὶ τρεπομένην ὑφ' αὑτῆς νῦν μὲν φλέγεσθαι, νῦν δ' ἐξυγραίνεσθαι, τότε δ' ἐξαεροῦσθαι, πήγνυσθαι δ' αὖθις, οὕτως ἄρα τῇ πολυφιλίᾳ ψυχὴν ὑποκεῖσθαι δεήσει. Sic haec Hercherus dedit, in quibus deesse id, cui materies subiecta sit, Wyttenbachius multis veterum locis collatis ostendit ideoque post v. ὑποκειμένην addendum esse ταῖς ποιότησι arbitratur. Deinde alii codices ὑπ' αὐτῶν, alii ὑφ' αὑτῆς, quod Hercherus praetulit. Mihi haec altera lectio tum demum orta videtur, cum excidisset, quod post ὑποκειμένην additum a Plutarcho erat, cum iam non esset, quo αὐτῶν referri posset. Coniicio igitur post λέγουσιν excidisse πᾶσι τοῖς οὖσιν, deinde vero scriptum fuisse ἐπ' αὐτῶν, in rebus enim aliis fieri aliam materiem illam unam omnibus communem recte dici poterat neque opus erat qualitates illas stoicorum nominari. — In verbis Consolationis ad Apollonium p. 113 E μεῖον γὰρ ὄντως ἐδάκρυσε Τρωίλος ἢ Πρίαμος αὐτός, εἰ προετελεύτησεν ἔτ' ἀκμαζούσης αὐτῷ τῆς βασιλείας καὶ τῆς τοσαύτης τύχης ἣν ἐθρήνει unus O. Schneider, qui infelicissime Callimachi verba (2 p. 562) tractavit (putat enim sententiam auctoris hanc fuisse: nam profecto tamquam Troilus aliquis minus lacrimaturus erat quam Priamus, si hic ipse Priamus mortuus fuisset florente imperio), Troili tantum exemplo comprobari, quam stultum esset mortem immaturam hominis lugere, opinatus est, reliqui omnes consentiunt et Troili et Priami rebus illud ostendi, Troilum enim felicem praedicandum esse, quod mature obiisset, multo feliciorem Priamum futurum fuisse, si, antequam fortuna prospero eum flatu ad felicitatem summam extulisset, fato suo functus esset. Troili a Callimacho desumtum exemplum (μεῖον ἐδάκρυσεν Τρωίλος ἢ Πρίαμος) etiam apud Ciceronem Tuscul. qu. 1 § 93 eodem ut videtur Crantoris libro usum afferri dudum interpretes Plutarchi monuerunt, Priami rebus philosophos, nisi fallor eundem quoque Crantorem, immaturae mortis luctum lenire studuisse e Ciceronis § 85 intelligimus. Cum hoc igitur inter omnes constet plurimique etiam per homoeoteleuton factum esse, ut nomen Priami, cum bis scribendum esset, semel scriberetur, consentiant, quid de Priamo dictum sit, diversae sunt philologorum sententiae. Carolus enim Dilthey, collega carissimus, Analect. callimach. p. 31 scribi voluit: Πρίαμος, οὗτος [δ' εὐτυχέστερος ἂν ἦν], εἰ προετελεύτησεν, Madvigius Advers. I. p. 621 ἢ Πρίαμος, καὶ Πρίαμος αὐτός, εἰ — τύχης, ἧσσον ἂν ἐθρήνει, Cobetus Mnemos. 1 p. 366 sententiam eorum quae intercidissent hanc sibi videri fuisse dicit: Τρωΐλος ἢ [Πρίαμος· καίτοι τίς τῶν τότε ἀνθρώπων εὐδαιμονέστερος ἂν ἐγένετο ἢ] Πρίαμος αὐτὸς εἰ προετελεύτησεν κτέ. Mihi quid de eo loco statuerem proferendum esse videbatur, quia dudum est quod in

margine adnotavi sententiae restituendae sufficere, si scribatur: *Τρωΐλος ἢ* [*Πρίαμος, καὶ*] *Πρίαμος ἂν αὐτός* (sc. *ἐδάκρυσεν*), *εἰ προετελεύτησεν* — . — P. 120. A Euripidis versus (frg. inc. 957) affertur, in codicibus sic scriptus: *ὁ βίος γὰρ ὄνομ' ἔχει πόνος ἐγώ σ'*. A. Nauckius palmari coniectura pro verbis extremis Euripidi reddidit *γεγώς* (cf. Studia euripid. 1 p. 3), sed ut duae syllabae, quae trimetro desunt, suppleantur, non *βίον* cum Herchero addendum nec v. *μόρος* cum eo voce *πόνος* mutandum est, sed simplicissima ratione quod poeta dixit restituitur ita, ut scribamus: *ὁ βίος γὰρ ὄνομ' ἔχει μόνον, πόνος γεγώς*: conferri possunt Eurip. Phoen. 554: *τί δ'ἔστι τὸ πλέον; ὄνομ' ἔχει μόνον*. Plat. Theaet. 202 B: *ὄνομα γὰρ μόνον ἔχειν*. Etiam p. 117. B in eo quod codd. multi eique boni habent *μένων* latere *μόνον* videtur, ut scribatur *καὶ τὴν ἐν ὀφθαλμοῖς ὀδύνην αὐτοῖς μόνον ἀφέντος*. — P. 134 B *ἐμέτους δὲ καὶ κοιλίας καθάρσεις ὑπὸ φαρμάκων, μικρὰ παραμύθια πλησμονῆς, ἄνευ μεγάλης ἀνάγκης οὐ κινητέον, ὥσπερ οἱ πολλοὶ κενώσεως ἕνεκα πληροῦντες τὸ σῶμα καὶ πάλιν ἐκ πληρώσεως κενοῦντες παρὰ φύσιν*. Haec sana esse non possunt, neque ex eo, quod praecedit, *κινητέον*, verbum finitum in eis, quae sequuntur, suppleri potest, sed post *ὥσπερ οἱ πολλοὶ* propter similitudinem proximae vocis excidit *κινοῦσι*. — In Gryllo p. 992 E *ἐννόησον δὲ ὅτι τὰς ἐνίων ἀβελτερίας καὶ βλακείας ἐλέγχουσιν ἑτέρων πανουργίαι καὶ δριμύτητες, ὅταν ἀλώπεκι καὶ λύκῳ καὶ μελίττῃ παραβάλῃς ὄνον καὶ πρόβατον, ὥσπερ εἰ σαυτῷ τὸν Πολύφημον ἢ τῷ πάππῳ σου, τῷ Αὐτολύκῳ, τὸν Κόροιβον ἐκεῖνον τὸν μωρόν* (nam sic extrema restituenda esse Mauritius Haupt vidit opusc. 3 p. 552) tertium prudentissimorum genus animalium, apium, postulat, ut tertium quoque genus brutorum opponatur. Post *καὶ πρόβατον* addendum esse *καὶ κηφῆνα* existimo. — His duos locos addam, quibus particula negativa necessaria esse videtur, tertium ubi articulum excidisse sermonis constans consuetudo docet. P. 60. D Cassius ille Severus, cum unus ex senatoribus speciem summae in dicendo libertatis prae se ferens Tiberio imperatori praesenti putide blandiretur, dixisse traditur: *αὕτη τοῦτον ἡ παρρησία τὸν ἄνθρωπον ἀποκτενεῖ*. Si Cassium Severum haec per ironiam dixisse Plutarchus existimasset, hoc nisi fallor aliquo modo significasset: puto igitur eum potius dixisse *οὐκ ἀποκτενεῖ*. Acerbitas et contumacia, qua Severus se ipse denique perdidit, in dicto illo satis magna inest, cum libertatem tunc perniciem afferre solitam esse significet. — P. 66. A Plutarchus paucos amicos libero ore amicis si quid minus probent dicere velle, sed *ἐν τοῖς ὀλίγοις αὖθις οὐ ῥᾳδίως ἂν εὕροις ἐπισταμένους τοῦτο ποιεῖν, ἀλλ' οἰομένους, ἂν λοιδορῶσι καὶ ψέγωσι, παρρησίᾳ χρῆσθαι*. Haec non recte dicta esse facile intelligitur, sed aut *καὶ οὐκ οἰομένους* aut *ἀλλ' οἴονται οἱ πλεῖστοι* dicendum erat, nam ne id quidem sumi potest, scriptorem ex prioribus *ἂν εὕροις* suppleri voluisse. Re vera igitur Plutarchum *καὶ οὐκ οἰομένους* scripsisse puto. — Denique p. 130. C in verbis *ὅπερ γὰρ αἰώρα πρὸς γυμνάσιόν ἐστι, τοῦτο πρὸς διάλεξιν ἀνάγνωσις, ὥσπερ ἐπ' ὀχήματος τοῦ ἀλλοτρίου λόγου κινοῦσα μαλακῶς καὶ διαφέρουσα πρᾴως τὴν φωνήν* articulum *τοῦ* errore a librariis omissum esse dico. Cum enim Plutarchus saepissime comparationes hoc modo conformet, ut praemissis *ὥσπερ* particula et communi praepositione primum rem eam, qua alteram illustrari posse putat, proferat, deinde hanc alteram addat, huic semper articu-

lum addit. Exempla haec sunto. P. 14. F: *ὥσπερ ὄψῳ χρωμένους μετρίως τῷ τέρποντι.* 44 B: *ὥσπερ χρημάτων τῶν ἐπαίνων ὅσον ἄλλῳ μεταδίδωσιν αὑτοῦ δοκῶν ἀφαιρεῖσθαι.* 46. D: *ὥσπερ ἐν σαρκὶ σκληρᾷ καὶ τυλώδει τῇ ψυχῇ.* 100. C: *ὁ ἄνθρωπος τοῖς περὶ ἑαυτὸν πράγμασιν ἡδονὴν καὶ χάριν ὥσπερ ἐκ πηγῆς τοῦ ἤθους προστίθησιν.* 159. C: *ὥσπερ ἐν μυλῶνι τῷ σώματι.* 165. F: *ὥσπερ ἐν ἀσεβῶν χώρῳ τῷ ὕπνῳ.* 169. C: *ὥσπερ ἐν σαγήνῃ μιᾷ τῇ δεισιδαιμονίᾳ συνδεδεμένων.* 169. E: *ὥσπερ ἄρκτων φωλεοῖς ἢ χειαῖς δρακόντων ἢ μυχοῖς κητῶν τοῖς τῶν θεῶν μεγάροις ἢ ἀνακτόροις προσιόντες.* 348. F: *ὥσπερ γυναικὸς πολυτελοῦς τῆς τραγῳδίας κομμωταί.* 399. A: *Βάκιδες ὥσπερ εἰς πόντον ἀτεκμάρτως τὸν χρόνον κατέβαλον καὶ διέσπειραν ὡς ἔτυχε παντοδαπῶν ὀνόματα καὶ ῥήματα παθῶν.* 400. A: *ὥσπερ ἐκ ῥίζης ἄνω τῆς κεφαλῆς ὀρθούμενοι.* 493 E: *ὡς ἐπ' ἀγκύρας τῆς φύσεως σαλεύει.* 621. B: *πλάσας ὥσπερ ἐκ κηροῦ τοῦ λόγου.* 621. E: *ὥσπερ εἰς γῆν τὴν παιδιὰν ἀποβλέποντες.* 712. B: *καὶ τὰ σκληρότατα τῶν ἠθῶν ὥσπερ ἐν πυρὶ τῷ οἴνῳ μαλάττουσι.* 731. B: *ὥσπερ ἐν πόλει τῷ σώματι.* 1107. A: *τῆς ψυχῆς ὥσπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς τὸ ἄπειρον ἐκχεομένης.* 1129. D: *καθάπερ ἐν φωτὶ τῇ δόξῃ.* Pauca addo ex vitis. Periclis c. 5 extr.: *ἀλλ' Ἴωνα μὲν ὥσπερ τραγικὴν διδασκαλίαν ἀξιοῦντα τὴν ἀρετὴν ἔχειν τι πάντως καὶ σατυρικὸν μέρος ἐῶμεν.* Aemilii Pauli c. 25: *ὁ λόγος καταδὺς ὥσπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς τον ἄπειρον ὄχλον ἐφάνη μηδεμίαν ἀρχὴν ἔχων βεβαίαν.* Aristidis et Catonis compar. c. 1: *ἀφῆκεν ἑαυτὸν ὥσπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς τὴν ἐν Ῥώμῃ πολιτείαν.* Ciceronis c. 6: *καθάπερ εἰς πέλαγος ἀχανὲς τὴν πόλιν ἐμπεσὼν ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος.* Haec tanta multitudo locorum efficit, ut de constanti Plutarchi usu cogitare debeamus: quare articulum *τοῦ* p. 130. C addendum esse dixi et p. 346. E *ὥσπερ ῥεῦμα τὴν δύναμιν ἀθρόαν ἐμπίπτουσαν ὤσασθαι μὴ δυναμένων* scribendum puto, cum codices *ὡς* habeant. Nam alia est ratio sententiae, non mera duarum rerum similium comparatio, si *ὡς* ponitur, ut Ciceronis vitae c. 6 *ὡς πρὸς ἀόριστον πρᾶγμα τὴν δόξαν ἁμιλλώμενος*, ubi fama ipsa quodammodo *ἀόριστον πρᾶγμα* esse dicitur, non tantum cum eo comparatur. Atque similis est ratio eorum locorum, quos G. Bernhardy Synt. gr. p. 204 sq. exhibet. Quod p. 473. F praepositionem *ἐν* ad v. *τῇ ψυχῇ* addidit, a consuetudine Plutarchus non recessit, neque enim *ἐν πινακίῳ* et *ἐν τῇ ψυχῇ* comparantur, sed *χρωμάτων* et *τῶν πραγμάτων*. Verba haec sunt: *δεῖ δὲ ὥσπερ ἐν πινακίῳ χρωμάτων ἐν τῇ ψυχῇ τῶν πραγμάτων τὰ φαιδρὰ καὶ λαμπρὰ προβάλλοντας ἀποκρύπτειν τὰ σκυθρωπὰ καὶ πιέζειν.* Sed p. 46 D in verbis: *νουθεσίας ὥσπερ φαρμάκῳ δάκνοντι λόγῳ χρωμένης ἐλέγχοντι* puto articulum *τῷ* ante v. *λόγῳ* inserendum esse, ut *δάκνοντι* et *ἐλέγχοντι* non attributa sed praedicativa sint. Neque vero Plutarchum primum hac verborum conformatione usum, sed Platonis potissimum exemplum secutum esse satis constat, recentioribus multis illam valde placuisse Cobetus compluribus locis docuit.

Denique locos aliquos proferam, qui literis similibus inter se confusis vel alias ob causas vitium fecerunt. Ac primum denuo mihi coniectura, qua Amatorii locum p. 756. C emendavi, defendenda est. Cum enim A. Winckelmanno (cf. eius edit. p. 150) vocibus *ΔΙΕΧΘΡΟΝ* in *ΔΕΧΟΡΟΝ* mutatis sic scribendum esse dixissem: *Ἀκούεις δὲ δήπου τὸν Εὐριπίδην, ὡς ἐθορυβήθη ποιησάμενος ἀρχὴν τῆς Μελανίππης ἐκείνην 'Ζεὺς ὅστις ὁ Ζεύς, οὐ*

γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ', μεταλαβὼν δὲ χορὸν ἄλλον ἐθάρρει ὡς ἔοικε τῷ δράματι γεγραμμένῳ πανηγυρικῶς καὶ περιττῶς, ἀλλ' ἤλλαξε τὸν στίχον, ὡς νῦν γέγραπται' Ζεύς, ὡς λέλεκται τῆς ἀληθείας ὕπο', G. Hermannus δὲ χορὸν probavit (Zeitschr. für die Alterthumswissenschaft 1881 p. 317), sed reiecta ἀλλὰ particula post ἐθάρρει addendum esse γὰρ monuit eamque coniecturam veram esse vel odium illud ostendit, in quo apud Plutarchum hiatum fuisse nunc a C. Sintenis edocti novimus omnes, tunc nemo noverat. Deinde vero cum nescio quis μεταλαβὼν ferri non posse sed λαβὼν scribendum esse opinatus esset, μεταλαμβάνειν saepissime esse p r o r e, q u a m h a b e b a s, a l i a m c a p e r e epistolae ad G. Hermannum datae p. 123 exemplorum a Tib. Hemsterhusio anecdot. 1 p. 35 et Fr. Grasero advers. platon. p. 86 collectorum fide interposita monui. Ac tamen idem repetendum est, cum Fr. V. Fritzsche ad Aristoph. Ranas p. 374 *μ ε τ ὰ* δὲ λαβὼν χορὸν ἄλλον (ἐθάρρει γὰρ ὡς ἔοικε κ. τ. ἑ. scribi maluerit, nam vis praepositionis adverbialis a prosa oratione praeter Herodotum aliena est. Recte igitur Fr. Dübnerus verba Plutarchi typis describenda curavit. — Deinde de alia coniectura dicendum est, qua locum Consolationis ad Apollonium p. 106 E. F. emendasse mihi videor. Verba haec sunt: ὡς γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ δύναταί τις πλάττων ζῷα συγχεῖν καὶ πάλιν πλάττειν καὶ συγχεῖν καὶ τοῦτο ἓν παρ' ἓν ποιεῖν ἀδιαλείπτως, οὕτω καὶ ἡ φύσις ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης πάλαι μὲν τοὺς προγόνους ἡμῶν ἀνέσχεν, εἶτα *σ υ ν ε χ ε ῖ ς α ὐ τ ο ῖ ς* ἐγέννησε τοὺς πατέρας, εἶτα ἡμᾶς, εἶτ' ἄλλους ἐπ' ἄλλοις ἀνακυκλήσει. Iac. Bernays (Mus. Rhen. 7 p. 105) in hac comparatione hominum cum argilla vestigia Heracliti manifesta deprehendi et fortasse ei puerum illum Homeri obversatum esse (O, 361: ὡς ὅτε τις ψάμαθον πάις ἄγχι θαλάσσης, ὅς τ' ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιέῃσιν, ἂψ αὖτις συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων) verissime monuit. Sed cum legerem, quae scripsit, eum non intellexisse miratus sum συνεχεῖς verum esse non posse, sed legendum esse *σ υ γ χ έ α σ α* (vel συγχέασ') *α ὐ τ ο ὺ ς* ἐγέννησε, eamque coniecturam cum L. Prellero, vitae vimariensis sodali desideratissimo, communicavi. Sed nescio, quomodo factum sit, ut et in Philologi vol. 7 p. 6 et in L. Prelleri commentationibus selectis p. 163 turpi vitio συγχέας αὐτοὺς ederetur. Fortasse hanc ab causam Hercherus coniecturam non commemoravit. Addo etiam in prioribus me in participio πλάττων offendere, cum πλάσας potius dicendum fuisse putem: quare *π λ ά τ τ ε ι ν* ζῷα καὶ συγχεῖν scribi malim. — Ad nova venio. P. 40. B. Διὸ δεῖ τῇ φιληκοΐᾳ πρὸς τὴν φιλοδοξίαν σπεισάμενον ἀκροᾶσθαι τοῦ λέγοντος ἵλεων καὶ πρᾶον. Quae Wyttenbachius ad defendenda verba τῇ φιληκοΐᾳ — σπεισάμενον dixit, fateor me non intelligere: dicendum vero hoc est, studio audiendi paciscendum esse cum gloriae cupiditate. Quare Plutarchus videtur scripsisse: τῆς φιληκοΐας πρὸς τὴν φιλοδοξίαν σπεισαμένης. — 64. E Plutarchus amicum amico quaecunque honesta sint summo studio praestare, ea tantum deprecari, quae aliquam turpitudinem habeant, adulatorem contra, si quid molestiam vel periculum afferre videatur, rogatum, velut si vas aliquod fractum pulsaveris, sonum edere obtusum, deinde pergit: ἐν δὲ ταῖς αἰσχραῖς καὶ ταπειναῖς καὶ ἀδόξοις διακονίαις *ἀ π ό χ ρ η σ α ι, π ά τ η σ ο ν*, οὐδὲν ἡγεῖται δεινὸν οὐδ' ὑβριστικόν. Aut fallor aut dicendum erat adulatorem ad inhonesta officia praestanda paratissimum esse et ἀποχρῆσθαι

hoc loco parum aptum est. Vera lectio est: *ἀπόχρη σε πατῆσαι*. — P. 96. C: *ὡς γὰρ τὸν Κρέοντα τῆς θυγατρὸς οὐδὲν* (hic videtur *ἂν* excidisse) *ὁ χρυσὸς οὐδ' ὁ πέπλος ὠφέλει, τὸ δὲ πῦρ ἀναφθὲν αἰφνιδίως προσδραμόντα καὶ περιπτύξαντα κατέκαυσε καὶ συναπώλεσεν, οὕτως ἔνιοι τῶν φίλων οὐδὲν ἀπολαύσαντες εὐτυχούντων συναπόλλυνται δυστυχοῦσιν. καὶ τοῦτο μάλιστα πάσχουσιν οἱ φιλόσοφοι καὶ χαρίεντες, ὡς Θησεὺς τῷ Πειρίθῳ κολαζομένῳ καὶ δεδεμένῳ 'αἰδοῦς ἀχαλκεύτοις συνέζευκται πέδαις'* (Eurip. frg. 598 N.). Philosophus Theseus dici non potuit, sed videtur Plutarchus *φιλόστοργοι* scripsisse, cf. p. 140. D: *τὸ μὲν γὰρ ἑταιρικὸν καὶ ἰταμόν, τὸ δ' ὑπερήφανον καὶ ἀφιλόστοργον.* 144 F: *ἀλλὰ φαίνεσθαι τοῦ σώματος μὴ βλεπομένου τὸ σῶφρον αὐτῆς καὶ ἴδιον τῷ ἀνδρὶ καὶ ὑποτεταγμένον καὶ φιλόστοργον.* 493 A. sqq. — Eo loco, quem modo attuli, p. 140. D in verbis *οὗτος ὁ τρόπος οἶμαι τῆς οἰκοδεσποίνης, μήτε φεύγειν μήτε δυσχεραίνειν τὰ τοιαῦτα τοῦ ἀνδρὸς ἀρχομένου μήτε αὐτὴν κατάρχεσθαι* sibi respondent *μήτε φεύγειν μήτε κατάρχεσθαι,* ad v. *φεύγειν* per particulam quae est *μηδὲ* addendum est alterum, quod similem vim habet, *δυσχεραίνειν*. Etiam p. 138. D Plutarchus scripsisse putandus est *τῷ μὴ φυγόντι μηδὲ δυσχεράναντι,* cum in codd. *μήτε* traditum sit. — P. 142. A: *δεῖ γὰρ μήτε τὴν εὐτελῆ καθαριότητος ἀμελεῖν μήτε τὴν φίλανδρον φιλοφροσύνης. ποιεῖ γὰρ ἡ χαλεπότης ἀηδῆ τὴν εὐταξίαν τῆς γυναικός, ὥσπερ ἡ ῥυπαρία τὴν ἀφέλειαν.* Sententia documento est *φίλανδρον* ferri non posse. Plutarchus dubitari non potest quin scripserit *φιλάγαθον*: cf. p. 140. C: *οὕτως ἀνὴρ — γυναῖκα ποιεῖ — φιλάγαθος καὶ φιλόκαλος σώφρονα καὶ κοσμίαν.* — P. 98. F: *ἀλλ' ἐν πᾶσι τούτοις ἀτυχέστεροι τῶν θηρίων ἐσμέν· ἐμπειρίᾳ δὲ καὶ μνήμῃ καὶ σοφίᾳ καὶ τέχνῃ κατ' Ἀναξαγόραν σφῶν τ' αὐτῶν χρώμεθα καὶ βλίττομεν καὶ ἀμέλγομεν καὶ φέρομεν καὶ ἄγομεν συλλαμβάνοντες.* In his *σφῶν τ' αὐτῶν* ferri non posse apparet, sed quod ad sententiam loci necessarium est, facile nanciscimur, si substituimus, quod literarum similitudine commendatur (*ΣΦΩΝ-ΕΡΓΩΙ*): *ἔργῳ τ' αὐτῶν χρώμεθα.* Cum proxime sequatur *βλίττομεν*, de apium potissimum opere, de melle, videtur cogitavisse. — In Consolatione ad Apollonium p. 112 versus de Euripidis Theseo afferuntur (frg. 392 N.), in quorum secundo codices Plutarchi plerique, Galeni de placitis Hippocr. et Platonis (vol. 5 p. 418 K. p. 393 Müll.) ut videtur omnes habent *εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ' ἐβαλλόμην,* quae nemo facile dixerit quomodo intelligi possint. Si homericum illud comparamus: *σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν,* Euripidem dedisse non sine iure coniicere videmur: *εἰς φροντίδ' ἔννους συμφοράς τ' ἐβαλλόμην φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρας ἐμῆς θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς.* — P. 138. B in ipso initio coniugalium praeceptorum, quae Polliano et Eurydicae conubio modo iunctis mittit, hunc sermonem suum paulo licentius cum tibiarum quodam cantu comparat, quo equorum et equarum libidinem excitare soliti sint: *ἐν μὲν γὰρ τοῖς μουσικοῖς ἕνα τῶν αὐλητικῶν νόμων ἱππόθορον ἐκάλουν, μέλος τι τοῖς ἵπποις ὁρμῆς ἐπεγερτικὸν ὡς ἔοικεν ἐνδιδόντα πρὸς τὰς ὀχείας.* ad quem locum Wyttenbachius collegit, quae aliis locis de eodem cantu tradita sunt. Sed quid est *ἐνδιδόντα*? Scilicet facili mutatione (*ΕΝΔΙΔΟΝΤΑ: ΕΠΑΙΔΟΝΤΕΣ*) substituendum est: *ἐπᾴδοντες.* — Commentariolum, cui inscripsit *Πότερον Ἀθηναῖοι κατὰ πόλεμον ἢ κατὰ σοφίαν ἐνδοξότεροι;* mendis omnis generis refertum esse notum

est, quorum multa corrigere hominibus doctis contigit, plura adhuc omnem eorum operam luserunt. Verba extrema haec sunt: *Ἀλλὰ δὴ μετὰ τοὺς Δημοσθένους τοῦ ῥήτορος λόγους ἄξιόν ἐστι τοῖς στρατηγοῖς παραβάλλειν, τὸν κατὰ Κόνωνος αἰκίας τοῖς περὶ Πύλον τροπαίοις ἐκείνου, πρὸς Ἀμαθούσιον περὶ ἀνδραπόδων τοῖς ἐξανδραποδισθεῖσιν ὑπ' ἐκείνου Σπαρτιάταις; ἢ ὅτι τοὺς ἐποίκους ἔγραψε, ταύτην Ἀλκιβιάδης ἔχων Μαντινεῖς καὶ Ἠλείους ἐπὶ τὴν Λακεδαίμονα συνέστησε; Καὶ μὴν οἵ τε δημόσιοι λόγοι τοῦτο ἔχουσι θαυμαστόν, ὅτι τοῖς Φιλιππικοῖς ἐπὶ πράξεις προτρέπεται καὶ τὴν Λεπτίνου πρᾶξιν ἐπαινεῖ* (p. 351 B). Oratoris orationes comparari cum imperatoris rebus gestis cum Wyttenbachius intelligeret, *τοῖς ἔργοις τοῖς τοῦ στρατηγοῦ* scribendum esse vidit, deinde *Ἀρεθούσιον* recipiendum esse Madvigius advers. crit. 1 p. 631 et Cobetus collectaneorum crit. p. 506 monuerunt. Quid vero verbis faciemus corruptissimis *ἢ ὅτι τοὺς ἐποίκους ἔγραψε*? Quod sequitur *ταύτην* requirere videtur, ut praecedat nomen aliquod feminini generis, et de foedere per Alcibiadis artes inter Athenienses, Argivos, Mantineenses, Eleos iuncto (Thucyd. 5, 43 sqq.) cogitandum esse iam Wyttenbachius vidit. Iam inter Demosthenis epistolas prima *Περὶ τῆς ὁμονοίας* inscripta est, ab exule ad cives missa, quae num Demostheni tribuenda sit, nunc non quaeritur, quin Plutarchus eius esse existimaverit, dubitari non potest. Quid igitur? Audebimusne Plutarchi verba haec fuisse coniicere: *ἢ τὴν ἐπιστολὴν ἣν πρὸς τοὺς ἐπ' οἴκου ἔγραψε* vel evitato hiatu *ἣν ἔγραψε πρὸς τοὺς ἐπ' οἴκου*? Deinde insanientis fere dixeris verba postrema: *καὶ τὴν λεπτίνου πρᾶξιν ἐπαινεῖ*. De oratione contra Leptinem habita aliquid dictum fuisse credendum est. In ea Demosthenes Ctesippum Chabriae filium immunitate a civibus patri concessa non privandum esse acerrime contendit et hoc Atheniensibus persuasurus res a Chabria gestas (20 §. 75—86) amplissimis verbis laudat. Fortasse igitur Plutarchus scripsit: *καὶ ἐν τῷ πρὸς Λεπτίνην τὰς Χαβρίου ἐπαινεῖ*. Itaque haec omnia ita fere scripta intelligi certe poterunt: *Ἀλλὰ δη τοὺς Δημοσθένους τοῦ ῥήτορος λόγους ἄξιόν ἐστι τοῖς [ἔργοις τοῖς τοῦ] στρατηγοῦ παραβάλλειν, τὸν κατὰ Κόνωνος αἰκίας τοῖς περὶ Πύλον τροπαίοις ἐκείνου, τὸν πρὸς Ἀρεθούσιον περὶ ἀνδραπόδων τοῖς ἐξανδραποδισθεῖσιν ὑπ' ἐκείνου Σπαρτιάταις; ἢ [τὴν ἐπιστολήν, ἣν πρὸς] τοὺς ἐπ' οἴκου ἔγραψε, ταύτην Ἀλκιβιάδης ἔχων Μαντινεῖς καὶ Ἠλείους [καὶ Ἀργείους] ἐπὶ την Λακεδαίμονα συνέστησε; Καὶ μὴν οἵ γε δημόσιοι λόγοι τοῦτ' ἔχουσι θαυμαστόν, ὅτι τοῖς Φιλιππικοῖς ἐπὶ πράξεις προτρέπεται κἀν [τῷ πρὸς] Λεπτίν[ην τὰς Χαβρί]ου πράξεις ἐπαινεῖ.* Cum igitur hic Chabriae nomen per negligentiam vel inscitiam dormitantis librarii excidisse sumamus, alio loco per errorem in verba Plutarchi irrepsisse suspicatus sum. Cum enim p. 440. B in codd. legatur: *Καίτοι ὅ γε στρατηγὸς Ἰφικράτης πρὸς τὸν Χαβρίου Καλλίαν ἐρωτῶντα καὶ λέγοντα· Τίς εἶ; τοξότης; πελταστής; ἱππεύς; ὁπλίτης; Οὐδείς, ἔφη, τούτων, ἀλλ' ὁ πᾶσι τούτοις ἐπιτάττων*, neque quidquam unquam de Chabriae filio Callia innotuit neque aliis locis, ubi eadem res narratur, nomen eius, cuius petulantiam Iphicrates represserit, additum invenitur nec *τὸν Χαβρίου Καλλίαν* Plutarchus dixisse credi potest. Itaque in Oratorum atticorum vol. 2 p. 219 fortasse *πρὸς τὸν ὀχληρῶς ἐν ἐκκλησίᾳ ἐρωτῶντα* scribendum esse dixi, nam *ἐν ἐκκλησίᾳ* rem factam esse apud Plutarchum p. 187. B et Ioannem Stobaeum Florileg. 54, 52 traditum est.

Sed finem faciam, cum in libello de genio Socratis p. 594 D, ubi est in codicibus: *ὁ γὰρ Φυλλίδας — τὸν Ἀρχίαν δεξάμενος περὶ τῆς γυναικός, ἧς ἐπιθυμῶν ἐτύγχανεν, εἰς ἐλπίδας ἐμβαλών, ὡς ἀφιξομένης εἰς τὸν τό π ον, ἔπεισε προς ῥαθυμίαν καὶ ἄνεσιν τρέπεσθαι,* collata p. 596. F legendum esse *τὸν πότον* dixero, de cuius veritate coniecturae ne quis dubitet verendum non est.

Scribebam in Georgia Augusta d. XVI. m. Iulii a. MDCCCLXXXIII.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
881P6.YS C001
EMENDATIONES PLUTARCHEAE.
3 0112 023825802